

Comment. In Daniele

- Ioseph. 10.** buchodonor obsedit Hierosolymā, atque de illa victoriam reportauit. Et imposito tributo Ioacim, secum asportauit in Chaldæam nonnulla vasa ex illis, quæ in templo Salomonis fuerant diuinis vsibus dedicata: & multos pueros duxit generis claritate præstantes, quos ei Ioacim obsides dederat, inter quos erat Daniel cum sociis suis. Hoc voluit ille significare verbis his, quæ principio huius capituli mandauit. Postea cum Ioacim impositum tributum non persolueret, venit iterum Nabuchodonosor Hierosolymam copiis comparatis, eaque expugnata occisus est Ioacim: pro quo fuit in regia dignitate constitutus filius eius Ioachin, quem Ieremias capite. 22. & Matthæus 1. Ieconiam vocant. Solebant enim homines illi variis nominibus appellari. Hic cum rempublicam tribus mensibus gubernandam gereret, fuit de dignitate gradu deiectus, & Babylonem cum Ezechiele, aliisque multis abductus. Post quem regnavit Sedechias patruus eius, tertius Iosæ filius, qui cum esset sceleribus etiam imbutus, nihilque opis reipublicæ occidenti attulisset, fuit immaniter occisus, & Hierosolyma funditus euersa, & templum Salomonium flammis expositum, & Hebræi incredibilibus calamitatibus oppressi: oculi enim augebant dolorem, qui quæ cæteri audiebant, intueri cegebantur. Ac ita fuerunt in Babylonicam seruitutem translati anno à mundi creatione 4611. secundum Græcos auctore Eusebio Cæsariensis, olympiade 47. & principio 48. vt Clemens Alexandrinus in primo Stromate, & Cyrillus aduersus Iulianum testatur. Iue rit necne Ioacim Babylonem, postquam fuit captus tertio regni sui anno vertitur in controuersiam: ex auctoribus enim alij astruunt, alij negant. Doctioribus placet, eum datis Nabuchodonosori obsidibus in regno suo mansisse, donec postea graui tributi onere depressus à Babyloniis defecit. Quam ob causam fuit ab illis iterum expugnatus, atque vndecimo regni sui anno interfectus. Hæc est diui Augustini sententia in translatione de mirabilibus sacre scripturæ, in qua videtur esse
- Theodoretus in commentariis in hunc locum. Nec obstat locus secundi Paralipomenon capite 36. cuius ad litteram hæc sunt verba: Contra hunc, nimirum Ioacim, ascendit Nabuchodonosor, & vincitum catenis duxit Babylonem. Nā hoc intelligitur non de prima, sed de secunda expugnatione. Deinde afferunt viri ingenij perpicacitate insignes, nec in secunda regē Ioacim Babylonem peruenisse. Est enim fuit è carcere ablati, vt vincitum caenis duceretur Babylonem, non tamen illic peruenit: verum in itinere interēptus est, & extra ciuitatem iacuit in sepulchro, quemadmodum Ieremias capite 22. præ dixerat. Dicens enim sepeliendum eum esse in agni sepulchro, significare voluit fore, vt non sepeliretur, sed instar animalis rationis expertis careret sepultura, & à bestijs atibusque laceraretur. At diuinus noster vates loquitur hic de primo bello, quod anno regni eius tertio ei intulit Babylonijs Sed dices: Qui fieri potest, vt hoc fuerit anno tertio Ioacim, vt ait hoc loco Daniel, cum dicat Ieremias ca. 25. fuisse anno eius quarto? Si volueris alte perpendere, atque ad veritatem reuocare rationem, videbis aperte, nullam esse inter hos duos diuinos vates discrepantiam. Id enim quod factum est inter annum tertium & quartum, re è dicitur factum anno tertio, nimirum elapso, & anno quarto, scilicet incepto. Eodem modo conciliabis Euangelistas de hora loquentes, qua Christus seruator noster fuit cruci affixus. Marcus enim capite 15. ait: Erat autem hora tertia, & crucifixus erit eum. Lucas vero 23. Erat autē ferē hora sexta. Et Ioannes narrans quo tempore Pilatus tradidit Iesum Iudæis crucifigendum: Erat, inquit, parasceue hora quasi sexta. Soliti erant antiqui, diem qui vulgò dicitur artificialis, in quinque partes, quas horas vocabant, diuidere, in primam, tertiam, sextam, nonam, duodecimam siue vesperam. Prima semper incipiebat à solis ortu, duodecima seu vespera erat in solis occasu, sexta erat meridiana, tertia erat media inter primam & sextam, nona autem inter sextam & duodecimam, quando

Theod.
1. Paral.
36.

Iere. 22.

Iere. 25.

Mar. 15.

Luc. 23.
Ioā. 19.

do